Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31664
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

lacteo nominatur; graeci enim gala lac dicunt. Sferas a ro-
tunditate graeco vocabulo appellatas. Graeci enim in
rotundum formatum sfera a graecis dicitur. Ius cognite ma-
gistri aurie nuncupaverunt, quia ea est lex condimenti eius.
Hanc graeci hemam vocant. Caseum vocatum quod careat sero,
quasi carium. Nam serum ei omne deducitur, ut ponderibus
arguatur. Colostrum lac novum quod nectit generis. Est lac a grae-
co sermone derivatum est a candore; graeci enim album
leucon vocant. Lac vero et sanguis quod nutrit et quod nutritur.
Nam lacte nutrimur, vivimus sanguine. Coactum quasi
coactum quasi coagulatum. Accepta enim se cum alia spe-
cie coagulatur. Mel graecae appellationis est, quod ab apibus nomen
habere probatur. Nam apis graece melisse dicitur. Antea autem
mella de rore erant, inveniebanturque in harundinum
foliis. Unde et Virgilius: Hactenus aerii mellis caelestia dona.
Siquidem huc usque in India et Arabia ~~et arabia~~ colligatur
repperitur ramis inherens in similitudine salis. Omne autem
mel dulce dicitur. Sardum mel est absinthii causa cuius
copia eius regionis apes nutriunt. Favum vocari quia
comeditur magis quam bibitur. Fagere enim graeci comede-
re appellant. Aiunt autem medici et qui de humanorum
corporum scripsere naturis, praecipueque Gallienus in libris
quorum titulus est de nepicie, in quibus puerorum et iuvenum ac perfec-
te etatis virorum mulierumque corpora insito calore
fervere et noxios esse his etatibus cibos qui calorem
augeant; sanitatique condecere frigida quaeque in usu
sumere. Sicut contrario senibus qui pituita laborant et fri-
gore calidos cibos et vina vetera prodesse. De potu.

Potio a graeca derivatione vocata. Hanc enim illi potos
dicunt. Aqua generaliter vocata quod superficies eius equalis sit.
Hinc et equor. Aqua inde recentem dicimus, quia non est vitiis
vetusta vitiatum, sed statim sublata et de flumine fon-
te vel puteo. Fetescit enim vetustate. Vinum inde vo-
catum quod eius potus venas sanguine cito repleat. Hoc
alii quod nos cura solvat Lieum appellant. Veteres vinum
venenum vocabant. Sed postquam inventum est vitis letiferi
sucus, hoc vinum vocatur, illud venenum. Unde et Hieroni-
mus in libro quem de virginitate conservanda scripsit:
Adolescentulas ita vinum fugere debere ut

venenum, ne perfecte etatis calore ferventi bibant et pe-
reant. Inde est quod apud veteres Romanos femine non utebantur
vino nisi sacrorum causa certis diebus. Merum dicimus
cum vinum purum significamus. Nam merum dicimus quicquid
purum ac sincerum est, sicut et aqua mera nulli utique rei
mixta. Hinc et merenda quod antiquitus id temporis pueris
operariis quibus panis merus dabatur, hoc quod meridie
eo tempore id soli ac separati, non ut in prandio aut in
prandio aut in cena adunata mensa. Inde quidam et illud
tempus quod medio die est meridiem appellari, quod purum sit.
Mustum est vinum e lacu statim sublatum. Dictum autem quidam
mustum quod insit limum et terra habeat mixta. Nam mus
terra unde et humus. Cui tanta vis fervoris est ut vasa
quamvis grandia ex eo plena absque spiramine repleta
illico dirumpat. Roseum vinum id cum rubore; rosa enim
rubet. Amineum vero quasi sine minio, id est sine rubore;
nam album est. Succinatum sucine gemme simile est,
id fulvi coloris. Lipidum vinum id perspicuum ab aque
specie dictum quasi limphidum. Limpha enim aqua est. Turbi-
dum quasi terbidum, id est terra commixtum quod est fece. Falernum vinum
vocatum a falerna regione Campanie ubi optima
vina nascuntur. Colacum vas proprie nuncupatur in quo
deportatur. Gabetum vero regio unde defertur. Gala enim
oppidum est Palestine. Infertum vinum dicitur quod altario
libatur atque offertur. Spurcum quod offerre non licet aut
cui aqua mixta est, quasi spurium, hoc est inmundum.
Honorarium vinum quod regibus et potentibus honoris
gratia offertur. Cato de innocentia sua: Cum essem in
provintia legatus, quamplures ad pretores et consules vinum
honorarium dabant, numquam accepi, nec privatus
quidem. Crudum vinum est insuave, quod servi potant.
Acetum vel quia acrius vel quia aquatum. Vinum enim aqua mixtum
cito in hunc saporem redigitur. Unde et acetum quasi
aquatum. Conditum vocatum quod sit non simplex et commix-
tione pigmentorum compositum. Lactatum est potio
e lacte. Mulsum ex melle mixtum dictum est. Enim
potio ex aqua et melle quod graeci melicratum vocant. In-
omelum mustum melle admixtum vehementique ex
agitatum atque commotum. Idromelum quod fiat ex